QUID DE VI VITALI
PATRES AUT DOCTORES
ECCLESIAE SENSERINT?

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONCESSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITERARUM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

EDIDIT

JOHANNES DE VASCONCELLOS

MARCHIO DE CASTELLO MELHOR

LUSITANUS

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TIPIS EXPRESSIS CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXVIII.

Haud sane inutilem navaret ille operam, non forsan iis, qui philosophiae student, at iis, qui humani ingenii historia delectantur, qui ex ipsis fontibus hauriret atque in lucem proderet, quid Patres de anima senserint, quomodo ipsa Ecclesiae doctrina pedetentim formata fuerit et postremum constituta, quidve dogmatibus, quae praevaluerunt, pro sua parte attulerit sive Scriptura sacra, sive philosophia, sive mos quoque ipse generis humani qualis fuit eo tempore, quo nata est atque adolevit Christiana religio. Illud tamen opus aggredi non nobis in animo fuit: quippe quod, ut praeclarum forsan et opimum, ita magnum et arduum nobis esse videatur, neque decet temere conari tenues grandia. Satis igitur nobis fuerit, si unam tantum quaestionem tractare valuerimus, et quid de vi vitali nonnulli e clarissimis Patribus cogitaverint et docuerint, facere planius.

Nequequidquam novi, nisi fallimur, excogitaverunt Patres Ecclesiae, seu Graeci, seu Latini, de magna illa lite, quae post tot et tantos labores est adhuc sub judice. Si enim ad plerosque, ut ad philosophos, spectes, haud magni sunt aestimandi, neque cernitur in illis Platonis illa, aut Aristotelis, aut Plotini mens prope divinior. Ne illi quidem, qui Socraticas chartas pertractarunt, uno excepto, earum succum exprimere didicerunt: ut, si quem locum in annalibus humani ingenii obtinent, non sit eorum laus e philo-

sophia profecta. Non ausim quidem dicere defuisse illis studium persequendae veritatis: quippe qui maximarum rerum, quae de hominis origine et conditione disputantur, fide certiores facti, quasdam tamen, nec levissimas, ipsi per se inquirere non dubitarint, perinde ac si cuncta fuissent iis invenienda, atque in eo sibi elaborandum esse existimaverint, ut quidquid ad hominem pertinet, sola rationis ope, non orta divinitus luce, pernoscerent. Quamquam (neque rei causas quaerere volumus), fere nemo est, ne in illo quidem eorum numero, qui aut acumine mentis, aut ingenio excelluerunt, qui aliquid ipse invenerit.

Non est igitur sperandum illos in hac questione, in qua nos includimus, multa ex se ipsis exprompturos: nihil paene aliud agunt, nisi ut Athenarum aut Alexandriae philosophorum dicta recantent aut cogitata, ut qui fide, non scientia, duce et magistra utantur; nisi quod ad illa, quae ex libris sacris expromunt, interdum addant ea, quae e graeco fonte sumpserunt, saepe aliquantum detorta. Placuit tamen in eorum doctrinam penitus descendere. Considerandi enim recentem istam controversiam, quae de vi vitali mota fuit, ac profecto non totum orbem confecit suum, in qua Patrum quoque auctoritas adhibita est aut memorata, visum fuit aliquem fructum futurum, si potuerit ostendi, non tanti esse momenti eorum auctoritatem, neque eandem sententiam fuisse eorum omnium, ut quidam existimaverunt.

Neque vero tentabimus omnes Patrum opinionum fontes detegere, neque monstrare, quid apud illos libri sacri valuerint, quidve horum librorum auctoritati debuerit doctrina, quae postremum recepta fuit ac paene in dogma conversa. Sed non licet omittere alterum illum fontem, ad quem illi doctrinae hauriendae causa descenderunt, neque silentio prae-

termittere, quid de quaestione nostra jam in philosophia ipsa tractatum ac peractum esset, quidve de illa decrevissent profani philosophi, qui ea aetate, de qua hic agitur, praestantissimi habebantur et maxima auctoritate pollebant. Quum Origenes, Gregorius Nyssaeus, Nemesius, atque Augustinus, qui facile inter ecclesiae philosophos primas tenent, Platonis, Aristotelis et Plotini scriptis, vel eorum, qui a claris illis viris manaverunt, paene innutriti sint, non alienum esse videbitur lumen illud, quod Patres nostri recta, seu iniqua via secuti sunt, oculis proponere. Ad id accedit, quod in certo eodemque magno temporis spatio, quod a Socrate usque ad Mediae Aetatis prima limina fuit interjectum, quaestionem ipsam, quae nunc barbaro vocabulo animismus nuncupatur, dabitur nobis persequi ac comprehendere.

Inter Patres et Doctores Graeciae et Orientis, qui quaestionis nostrae pondus susceperunt, tres tantum, nostro quidem judicio, exstitere, quos liceat inscribere numero philosophorum, Origenes, Gregorius Nyssaeus ac Nemesius. Ceteri vix rem tetigerunt; aut, si quando delibaverunt, aut mancam, aut disparatam, aut ambiguam pronuntiaverunt sententiam. Non tamen silentio praetermittendum, quid placuerit quibusdam clarissimis viris, videlicet Justino, Clementi Alexandrino, S. Gregorio Naziantio, etsi plerique plane rudes philosophiae habeantur et tanquam balbi: eorum enim sententiae, etiamsi ad id tantum valerent, ut de eorum aetate aliquid in lucem proderent, non essent omnino contemnendae. Ex hoc quoque forsan hic fructus existet, ut appareat, non unam omnibus in hac quaestione vocem fuisse, ut plerique opinantur.

Justinus librum de natura animae composuerat, qui non usque ad nos pervenit. Quid in eo fuerit de anima ac praesertim de vi vitali scriptum, nescimus. Sed fas est credere, si qua potest fieri conjectura ex illius scriptis, quae remanserunt, nihil ab eo esse de nostra quaestione planius expressum, praeter arctissimam corporis et animae societatem. Primi Christiani aegre intellexere animas posse existere, qui corporis expertes essent. Argumento est Justinus, qui ad id etiam devenit, ut dicat angelos in coelis cibo, ut homines in terris, uti. Dogma resurrectionis fuit quasi formula hujus opinionis, quae fere omnibus fuit communis, nisi forte malueris existimare hanc opinionem e dogmate resurrectionis ortum duxisse, quod forsan est vero propius. Ad hoc non facile Justinus notionem habuit immortalitatis: animam enim modo negat posse esse immortalem, quoniam nihil potest esse immortale, nisi quod ingenitum sit et incorruptibile, id est Deus; modo tamen animae immortalitatem agnoscit, sed tum eam esse ingenitam existimat, nam nullo pacto libet ei a sententia sua discedere, nec quidquam posse immortale esse credere, quod genitum fuerit.

Titus Flavius Clemens, Alexandrinus cognominatus, plura reliquit, quae ad animam pertinent, sed non quae sint magis conspicua, aut digna, in quibus diutius commoremur. Est tantum vulgi opinionis interpres, et mediocriter doctorum tanquam vocis imago suboscurior. Quae profert, ea, si non e medio desumta expromit, a Platone, aut Aristotele, aut Scriptura sacra mutuatur, haudquaquam concinne commixta aut elaborata. Si vero in ejus sententia, quae plerumque tenebris est implicita, aliquid possit discerni, non putamus id ad animismum posse referri. Accurate animam a corpore sejungit: hominem enim e duobus

elementis constare, unum rationabile, alterum autem irrationabile asserit; unum, quod ad Deum, alterum, quod ad terram vergat. Addit animam et rationem non e semine, ut corpus ortum ducere, animamque ex essentia quadam, quae corpore subtilior sit, esse conflatam.

Hae autem substantiae, quae genere, natura ac proclivitatibus adeo sunt diversae, quas partes in vitae muneribus exsequendis pro sua quaeque parte suscipiunt? Non facile est dicere, quid Clemens in hac quaestione statuerit. Scribit enim per corpus, id est per corporis spiritum, hominem sentire, cupere, gaudere, nutriri, etc.; per animam autem quaerere, discere ac verum cognoscere; ita ut duplicem vitam, vimque duplicem videre nobis videamur. Sed ne semper in hoc eum sibi constare credas. Videtur interdum ad unius principii doctrinam inclinari: dicit enim cuncta esse ita composita, ut ad unum principium referantur, a quo condatur vita hominum atque essentia. Attamen quum in hoc loco Aristotelicam mentem significet, neque magis ab eo, quam ab Aristotele, mens substantia existimetur, verum facultas, putandum est, non hic secum pugnavisse Clementis sententiam, sed paulisper tantum a se aberravisse, nisi malimus credere, non facile intelligi, quid sibi voluerit, ista unius principii mentio. Quum dixerit hominem per corporeum spiritum sentire, nutriri, augeri, per animam autem verum possidere, addideritque animam in corpus intromissam et subtiliori esse essentia, an dubium esse potest, quin diversas substantias, diversasque vires in mente habeat, quarum una organorum et sensus vitae, altera mentis facultatibus praesit? Non ausim tamen affirmare in hoc ejus sententiam haesisse, remque permittam acutioribus. Hic enim tanquam in Erebo oberramus, et in domicilio

umbrarum. Sententia ejus plerumque in incertum aut ambiguum implicatur, aut in contrarium flectitur. Etenim postquam animam a corpore distinctam et materia vacuam sit professus, non potest facere, quin eam sub crassa quadam imagine fingat, remque solummodo corpore subtiliorem praedicet, non plane incorpoream, etsi hoc verbum usurpet, quam forsan hodie fluidum imponderabile novo vocabulo nuncuparemus, istiusque modi ut eam aquae diluvii non attingere potuissent. Verum non est facile perspicere, cur animam a corpore distinguat, si eam sub specie materiae considerat: si non ea est ejus natura, ut nihil cum materia habeat commune, quamvis tenuissima, corpus est, nec potest intelligi, nisi tanquam vis quaedam corporis.

Origenes multo duos illos, de quibus pauca tantum diximus, ingenio ac doctrina antecellit: apud quem diutius erit nobis commorandum, eo magis quod, etsi non inter inventores ac principes sit numerandus, singularem tamen protulit doctrinam, quae universitatem rerum complectitur. Hanc adumbrare volumus, priusquam ad quaestionem nostram veniamus.

Profitetur ille tria esse in rerum universitate principia, Deum scilicet, materiam atque animas. Deus omnia creavit ac condidit. Duo autem, quae infra ejus magnitudinem jacent, elementa conjunxit ac composuit cum pondere et mensura, unumque effecit opus, diversis quidem officiis ordinatum, neque tamen dissonans aut a se discrepans, ut intelligendus sit mundi status velut animal quoddam immane, quod, quasi ab una anima, potentia Dei ac ratione contineatur.

Mundus vero ex materia atque animis constat.

Materia intelligenda ut quae subjecta sit corporibus, id est, ex qua, inditis atque insertis qualitatibus, corpora

subsistunt: qualitates autem quatuor, calida scilicet, frigida arida, humida. Quae, quamvis secundum propriam suam rationem sine qualitatibus sit nunquam, tamen sine qualitatibus subsistit. Sufficit ea ad omnia mundi corpora, quae Deus esse voluit, recipiens qualitates ad ejus arbitrium, ad quascunque formas, species ac mutationes apta.

Tanquam in numero qualitatum, etsi non hanc sententiam expressit Origenes, ponendae sunt animae. Habendae enim sunt vires, quae ducant e materia, cui inditae atque insitae sunt, velut e marmore quodam bruto atque inerti, omnes formas, quae vitam exprimant. Multiplices istae sunt ac variae formae; materies certos vitae gradus sortitur aut adipiscitur, prout vis, quae eam vivificat, id est anima, coelo est propior aut remotior. Ad id etiam progredi valet vis illa, quae in materia habitat, ut e corruptibili incorruptibilis possit evadere, quum perfecta et dogmatibus instructa uti corpore coeperit. Non quod tamen possit unquam sine corpore subsistere; nam Deus unus est, qui vere sit incorporeus.

Nunc vero, quum noverimus, quem locum anima obtineat in rerum universitate, et quam rationem cum corpore habeat, quaestionem nostram aggredi facile liceret. Sed non prorsus alienum erit inquirere, quid de natura ejus atque origine ille senserit. Res ipsa clariore in luce versabitur. Libet hoc quoque amplius explicare, quid aliis debuerit, quid ipse excogitaverit.

Agnoscit Origenes, quandam viventium scalam. Sed in quolibet scalae gradu, incipiens ab inferioribus, ut ipse dixit, ad superiora ascendendo, eandem naturam animae tribuit. Ejus est essentia phantastica et hermetica, id est mobilis et sensibilis; substantia autem sanguis, quem

substantiam vitalem appellat. Sanguis quidem non reperitur in omnibus animalibus; sed, ubi sanguis deest, alius est quidam humor ejusdem generis, qui vim habet rubri sanguinis. Non alia est animae natura in angelis aut in Christo ipso. „Ejus definitio, inquit, vel in illos videtur incurrere". Unus Deus est, cui non sit anima; nisi forte possit anima Dei intelligi unigenitus filius ejus; causa est cur Deus incorporeus.

Magna fuit quaestio Origenis aetate, quae esset animae origo. Num ducitur anima e semine traducis, ita ut ratio ipsius vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur? An vero aliud habet initium? Num intrinsecus corpori inditur, an extrinsecus? De quaestione ista, quae e philosophia in religionem transferebatur, in contrariam disputabatur. Neque res parvi erat momenti; nam eorum sententia, qui animam e semine traducis duci contendebant, credebatur immortalitatem in discrimen adducere. Existimabant enim, necesse esse, eam simul cum corpore mori, si una cum corpore seminata, vel formata, vel nata esset. Eorum autem sententia, qui eam extrinsecus in semen inferri censebant, parum cum peccato originis congruere videbatur. Quanquam Origenes, etsi dogma praeexistentiae animarum non facile cum disciplina ista, quae tam arcto vinculo materiam atque animam conjungebat, cohaerere posse videretur, hanc tamen opinionem amplexus est atque praedicavit. Anima igitur, ut illi placet, non cum corpore nata est aut formata. In primis initiis rerum, „numerum rationabilium creaturarum fecit Deus quantum sufficere posse prospexit". Is numerus animarum recte aptatur irrationabilibus creaturis, quae tantae sunt, quantae a providentia Dei dispensari, regi et contineri

possint: earumque mensura materiae corporali convenienter aptatur, „quam tantam Deus creavit, quantam sibi sciret ad ornamentum mundi posse sufficere“. Istae rationabiles naturae, quippe quae factae sint, ut ad materiam adaptarentur, non intrinsecus, sed extrinsecus seminibus inseruntur. Isto modo, quum non fuerint creatae cum corpore, eas cum eo interire non necesse est. Non quod tamen debeatur iis immortalitas: nam, ut esse coeperunt, ita possunt desinere; et quoniam quantacunque inerat principio earum substantiae virtus, non naturaliter inerat, sed beneficio conditoris, effecta, non cognata iis est immortalitas, quam possunt quidem consequi.

Ex summa illa Origenis doctrina facile intelligitur, quid quaestioni nostrae responderi debuerit. Excepto enim quod Deum creatorem ac conditorem habemus, atque dogma praeexistentiae animarum, in philosophiam Stoicorum incidimus. Itaque prope eadem, quae ab eorum scholis de vi vitali tradita fuerunt, apud Origenem sumus reperturi.

Dividit ille omnia, quae moventur, in duo genera: alia in semetipsis causas motuum gerunt, sicut plantae et animalia; alia autem extrinsecus, sicut lapides et ligna. Illa vero, quae in semetipsis causas motuum habent, quaedam ex se, plantae scilicet aut inanima, quaedam a se, id est animalia, moveri dicuntur. Motus autem e sensu oritur: moventur enim a se animalia, dum phantasia ipsis insita appetitum provocat. In quibusdam talis inest phantasia, ut naturali quodam instinctu concitentur ad ordinatos et compositos motus, ut araneae et apes, aliaque ejusdem generis animalia: in aliis talis est, ut proprii motus deprehendantur, quorum in numero primas homo obtinet. Illos tamen naturales motus habet in se animal rationabile; sed insuper

vim cogitandi et eligendi, mentem scilicet ac libertatem. Non quod tamen motus illi naturales, hique proprii, duplex principium significent: omnia in homine ab anima pendent. Haec per totum corpus inserta ac cum sanguine diffusa, vitam ei indit; in eo movet omnia et agitat et operatur universa. In hac inest causa esuriendi et bibendi, et „is motus, qui adultae aetati naturaliter suggeritur, id est appetendi coitus desiderium“. Est vis semper agens. Nullum animal prorsus otiosum atque immobile esse potest, sed omni genere moveri et agere semper et velle aliquid gestit. „Quod imprimis in homine cernitur, cujus naturam necesse est semper aliquid movere vel agere, sive corporis motibus ac voluptatibus indulgeat, sive ad nobiliores animi impetus aut mentis usus se applicet. Nihil quidem agere potest anima sine corpore, quippe quae sine corpore non valeat existere; sed corpus nihil est aliud, quam instrumentum, quo utitur, ut variis suis fungatur muneribus.

Legenti quasdam partes, easque a summa disciplina detrahenti, videtur forsan Origenes cum viribus animae alias vires conjungere et in ejus auxilium aliam potestatem vocare. Loquitur enim interdum de motibus naturalibus, qui animae cupiditatibus inserviunt, quibus ea, quae a natura ad usus nostros accommodata sunt, appetuntur vel evacuantur,“ de corpore, quod escam et potum desiderat per naturam, de natura illa corporis, quae repleta sativi humoris loca evacuare gestit atque rursus replere, „ac de ipso isto seminis humore, qui per tempus in suis locis collectus expelli gestit et abjici, quod interdum nequaquam impulsu alterius cujusquam provocatione efficitur, sed etiam sponte interdum soleat egeri“. Adeo arduum est naturam omnino exuere foedusque rumpere, quod inter animam et corpus, ut vitae

munera impleantur, Deus esse voluit! Sed reipsa nullus locus est naturae in istiusmodi doctrina, neque quidquam ea esse potest, quam pars illa animae, quae ab Origene instinctus vocatur, et motus omnes, qui citra cogitationem aut libertatem exstant, efficit. Nulla alia vis est in homine praeter animam: corpus omnino est iners et quasi mortuum. Origenes persaepe tres partes in homine distinguit, animam scilicet, carnem ac spiritum; animam quidem, quam quasi quoddam medium inter duas alias partes positum nuncupat; sed in cogitatione tantum valent ista discrimina, et ad id unum spectant, ut varios unius vis gradus aut actiones significent.

Postremum in his verbis omnis ferme Origenis sententia continetur: de qua diferentia, inquit, saepe jam diximus, quod interdum per animam, interdum per carnem, interdum per spiritum homo nominatur. Sed cum a parte meliore homo nominandus est, quasi qui spiritualis intelligi debeat, spiritus dicitur; quando ab inferiore, anima; cum vero a deteriore nominatur, caro dicitur; et horum testimonia de scripturis saepe protulimus.

Nunc vero praetermittendum est magnum temporis spatium, ac at eos tandem transeundum, qui vere ad quastionem nostram accesserunt, scilicet ad Gregorium Nyssaeum et Nemesium.

Operae pretium erit aliquid temporis apud Gregorium commorari. Facile videres multa illi defuisse: non valet plurimum ordine rerum aut constantia; in diversas sententias interdum distrahitur; nec recta linea vitam corporis a vita animae separavit, si quando ejus menti verum affulsit. Expromit haud semel sententias, quae velut aegri somnia finguntur; at saltem philosophiam attigit. Aristotelis libros

procul dubio delibavit, nec non libros medicorum; ac si non multa ipse invenit, aut addidit inventis, haud pauca tamen ex iis, quae reperta sunt, sua facere didicit. Qui, quum nosceret, ut videtur, qualis sit corporis humani constitutio, potuit intelligere, quae sint partes in vitae officiis exsequendis quum animae, tum corporis, et quid velit in nostra quaestione vera philosophia.

Non tamen aegre intelligimus fautores animismi globo suo Gregorium adscripsisse. Primo enim aspectu multa apud eum reperies, eaque haud obscura, quae ad eorum doctrinam pertinent. Quae non nobis in animo est silentio praetermittere, sed ea summatim certe percurrere volumus.

Postquam conditae sunt res universae, non utique statim homo exstitit. Praecesserunt naturae, quae ratione carent, atque germina plantarum. Vis igitur vitalis ordine ac vicissitudine quadam corporali naturae est commixta: mox ad id, quod sensu praeditum est, progrediens, ad id, quod rationis est particeps, postremum ascendit. Vita sensu praedita absque materia consistere non valet; neque quod est mente praeditum, sine corpore aut vi sentiendi; ob eam prorsus causam, natura ad creatum plane perfectum gradatim progrediente, postremo homo conditus est, ut qui omnem vitalem speciem, et quae in germinibus, et quae in brutis, in se complecti deberet.

Perfecta igitur vita in homine cernitur, qui ex omni animae forma est quasi temperamentum. Princeps quidem existit in eo facultas accrescens sola et nutriens, quae in opificii principio tanquam radix quaedam adhuc abdita sub terra latet. Deinde hac quasi plantula in lucem prodeunte germenque suum soli ostentante, sentiendi facultas efflorescens cum priore conjungitur. Verum ubi jam magna facta

est, et proceritatem sibi convenientem adepta, tum demum instar ipsius fructus rationis particeps facultas elucescit, non illa subito totum splendorem suum ostendens, sed una cum instrumenti sui perfectione celeriter accrescens, eosque fructus proferens, qui corporis facultatibus respondeant. Illa autem principali facultate inter omnes animantes homo excellit, quia speculatur et cogitat, et divinam in se imaginem servat. Vis illa ei propria est, totaque in ea insidet ejus natura: nutriendi, sentiendi aut irascendi et cupiendi facultates in anima sunt; illa autem est ipsa anima.

Anima a corpore distincta est. Duplex est homo, unus qui conspicitur, alter absconditus, quem ille ipse, qui conspicitur, non cernit. Ego autem sum ille, qui intus est homo. Quae vero sunt intrinsecus, non ego illa sum, sed illa sunt mea. Neque ego sum manus, sed ratio, quae in anima est. Corpus vero est animae instrumentum multiplex illud quidem, ut varia ipsa munera, ad quae est accommodatum. Quum tamen ex corpore et anima homo constet, existit arctissima inter duas hominis partes societas, quae jam in semine humano existens, cum vita incipit; nam ab animatis et vivis corporibus animatum et vivum animal procreatur, quod natura humana, ut nutrix, excipiens suis ipsa facultatibus alit, et in utramque partem auget concordia quadam et aequalitate, artificiosa autem et singulari peritia, quae maxime in formatione corporis cernitur. Format enim corpus anima, ut simulacrum opifex quandam speciem intuens, inque ea defixa, sibi ipsa suum domicilium aedificat, idque aptissimum naturae suae; eaque elementa, quae concrevit, constricta inter se et cohaerentia tenet et vim vitalem toti corpori immittit, unicuique parti finem suum assignans sensuumque operationem gubernans. Anima tandem per mentem corpori indit

pulchritudinem, quae aut disjunctione facta, aut imperio ad quod non debuit, translato, tollitur.

Non existit tantum arctissima societas inter duas illas partes, e quibus homo constat, sed etiam quaedam necessaria conjunctio, quae vel dissoluto corpore, servatur tamen et permanet: ita ut adhaereat anima unicuique partium, quacum fuisset consociata, et restet in elementis. Est enim anima cum corpore ut Deus cum universitate rerum. Licet enim cum elementis non congruat intelligentiae particeps et materiae expers natura, esse tamen in iis non prohibetur. Quae opinio duplici ratione nobis confirmatur: primum ex eo, quod in hac vita, quum aliud quiddam anima atque corpus sit, in corpore tamen est; deinde quod divina natura, quamquam omnino alia est atque ea, quae materiae est particeps, tamen per unumquodque eorum, quae sunt in rerum natura, funditur et permaneat, eaque vi, quae cum universitate contemperata atque commixta est, in essentia continet, quae sunt in rerum natura: eodem prope modo non potest esse anima extra rerum universitatem, atque, quum ex ea vita, quae in forma et specie animadvertitur, ad eam, quae conspici non potest, transmigravit, per elementa tamen funditur et permanet, quibuscum fuerat consociata; atque, quum natura dissipet elementa propter insitas contrarietates, unumquodque eorum arcens a commistione contrarii, nihilominus anima, quod aptum est, amplectens, apud hoc ut custos aedium manet, donec rursus in idem concursus diremptorum ad instaurationem dissoluti corporis factus fuerit, quae proprie resurrectio est et nominatur. Quocunque loci ac quomodocunque ea redegerit natura, non tamen ea deserit, et rursus elementis signo ad concursum dato, tum, quemadmodum fit, ut si ab uno principio diversi

funes suspensi sint, cuncti simul attrahentes sequantur, eodem modo, dum per animae virtutem diversa attrahuntur elementa, repente veteris corporis conseritur catena, unoquoque se commode ad pristinum et cognatum applicante. Est corpus in hac ultima operatione alicujus vasis instar, cujus fragmenta anima agnoscere et colligere debeat, et quod certis signis, quae in reliquiis remanserint, refingat. Ea est proprie resurrectio, quae, si aliter fieret, non resurrectio esset, sed novi hominis creatio.

Liquet omnia haec proposita, hoc extremo excepto, quod est quaedam dogmatis christiani explicatio, ad animismum pertinere. At sive quadam animi contradictione, sive potius posterioris illius Aristotelicae disciplinae, quam breviter descripsimus, auctoritate, aut librorum Galeni, quos procul dubio pertractavit, cum ista adulterina, ut ita dicam, doctrina, quae partim a priori Aristotelis disciplina, partim a Stoicis, aut Plotino assumpta est, longe aliam commiscet Gregorius. Sicut isti, qui animistae vocantur, ita nunc qui cognominantur organicistae, eum in numerum suum possunt recipere. Veniet nunc animae in societatem natura, magnamque partem officiorum, quae illi incumbebant, ipsa exsequetur.

Principio conferens Gregorius vitam istam corporis, quam crassiorem fluxamque nuncupat, cum fluvio, qui impetu suo volutatus, alveum quidem semper implet, non tamen eadem aqua, modo rapido, modo leni cursu diffluente, fluvii cursum variosque casus naturae tribuit. Nec dubium est, quin hunc locum legenti, qui maxime est notandus, apud auctorem nostrum plurimum ad vitae officia valeant vires naturae infra animam sitae. Calor, ut apud Aristotelem, cibum coquit; vapores in nostri opificii solo, ut

sermonem illius usurpemus, enascuntur; in caput quasi fumus penetrant; ab organorum meatus delati sensum omnem otiosum reddunt: palpebras tanquam machina quadam plumbea obducunt, auditum obstruunt et impediunt, eorumque ope facilius per meatus singulos cibus penetrat.

In alio loco, dum recenset quae vires vitam administrent, sic loquitur: „Videmus tres imprimis esse vires vitae nostrae tanquam administras: quarum prima calore suo cuncta fovet; altera quod concaluit, succo suo humectat ut per aequabilem qualitatis in rebus adversantibus sibi temperiem, quadam mediocritate ipsum animal conservetur, et vigeat; tertia articulos non cohaerentes et interstinctos ligamentis suis per commissionem et harmoniam continet aptissimeque copulat et omnibus indit vim quandam sponte sua se movendi". Non potuit sane Gregorius tres illas vires animae imputare, quas facit vitae administras. Potuit forsan tertiam, non vera alias, quum animam materiae expertem esse profiteatur, duasque illas pateat vires esse naturae. Non me fallit saepe contingere cum istiusmodi philosophis habitanti, ut in contradictiones incurrat; non dubito tamen contendere, non pugnasse secum in hoc loco Gregorium, neque ullo modo naturam cum anima confudisse.

Altius autem progredienti in descriptionem, quam magistro Aristotele, ac praesertim Galeno fecit de hominis opificio aut institutione, licet illum videre penitus descendentem in doctrinam, quae organa propriis viribus esse praedita, et duce natura, suum quodque finem consequi profitetur. Non tantum enim vitae instrumenta sunt cor, stomachus, pulmo, jecur, venae, cerebrum etc.: his quoque vires indidit natura, quae munere suo quaeque fungantur. Jecur est fons sanguinis; pulmo cordis calorem perflando

excitat; stomachus visceribus alimentum praebet; cor est principium et radix facultatis vitalis. Loco inter ventriculum pulmonemque medio insidens, huic quidem respirandi, illi autem nutrimenta conficiendi vim largitur. Est tanquam fons caloris, a quo meatus orti consimiles tibiis per corpus universum igneos spiritus diffundunt. Pulmonem movet efficitque ut aërem attrahat et continuo spiritum ducat. Non quiescit respiratio, quoniam igneam naturam non fas est quiescere. Nervi quoque se suapte virtute contendunt, ac vi quadam insita.

Haec profecto omnia mirum in modum probant non falsam esse opinionem, quam Gregorio affinximus; nec facile quemquam reperire est, qui plus corpori imputet: hunc tamen locum transferre volumus, quo nullum argumentum majus esse potest, in quo non solum organis, sed etiam unicuique organi parti energiam quandam attributam esse videbimus: „Quum inter membra vitalia cor praecipuum sit, quippe quod membra spirituum calore fovet, idcirco nostri opificii auctor illud per omnia efficax esse facultate vegeta voluit, ne pars ipsius ulla foret otiosa, aut nihil ad corporis universi utilitatem subministraret.“

Recurrit igitur natura in locum, quem anima primum invaserat; neque tantum facultatem illam recuperat, quae proprie vitalis est, sed alia quoque munera, eaque magni momenti sibi arrogat, quae erant aut plane omissa, aut jam animae attributa: ut postremum non solum in vita, sed etiam in variis motibus corporis aut actionibus primas facile partes obtineat, quae prius prope nullae fuerant. Motus enim illi corporis, qui in risu aut lacrymis cernuntur, non in anima, sed in natura principium habent suum et ad structuram corporis sunt referendi. Natura, non anima, singu-

lari artificio ad motum organa composuit; illa vim suam nervis vi indidit, quae per spiritum sponte sua sese agitantem officio fungitur. Illa corpori largita est facultatem attrahendi id quod defit, et quod superest, expellendi. Illa tandem in varia membra tutelam corporis partita est et unicuique hoc dedit negotii, ut nonnihil ad usum universi pro sua parte conferret.

Neque vero dicat aliquis non quidquam aliud apud Gregorium naturam esse, nisi ipsam animam, quae sub alio nomine appareat. Facile videre est non animam, sed reipsa aliam vim illum significare voluisse, quum ad id postremum deveniat, ut in loco naturae Deum agentem inducat, et easdem propemodum partes, quas ipsi naturae, illi assignet. Etenim si membra, etsi variis praedita sint qualitatibus, uno eodemque alimenti genere nutriuntur, prout certae leges jubent, non id natura, sed auctor naturae instituit. In memoriam denique revocemus, ne singula persequamur, locum quemdam primae illius rationis, in qua notam Scripturae vocem (faciamus hominem ad imaginem nostram), commentatus est.

Postquam dixit quomodo quosque per gradus natura corpus hominis augeat, utque, posteaquam a laboribus in altum ejus augendi respiraverit, in latum incipiat progredi et aedificii fastigium, tanquam fundamentis substratis adauctisque, fulciat et confirmet, addit: „Hanc ipsam naturam ad ordinem, quem in se habeat, agere, hunc vero ordinem ab illo pendere primo Dei mandato, quod semel edictum per omnia, quae procreantur, usque ad finem progreditur“. Quid porro est evidentius, quam hic non de anima mentionem fieri, sed de prima illa vi eademque aeterna, quae perpetuo conatu in universa rerum natura operatur, ac Gregorium

in sacram philosophiam Aristotelicam ipsam naturam, mutatis mutandis, fere transtulisse, et quas primum animae attribuerat partes, eas nunc naturae ejusque legibus assignavisse?

Citare solent, qui volunt Gregorium animismum profiteri, hunc locum haud semel jactitatum: „Caeterum etsi superiore oratione declaratum est, triplex esse in vivendi facultate discrimen, ut alia sit vita, quae quidem nutriatur, expers tamen sit sensus; alia et nutriatur et sentiat, careat autem facultate rationis; alia denique et ratione utatur, et perfecta sit, perque facultates caeteras omnes diffusa, ut et in iis existat, et tanquam eximium quiddam intelligentiae vim habeat: nemo tamen idcirco existimet in humano opificio animas existere, seorsum certis quasi limitibus circumscriptas, ut naturam hominis e pluribus animis conflatam putare debeamus. Sed vera et perfecta anima unica natura est intelligens, nullaque e materie crassa constans, per sensus naturae illi crasse mista". Non equidem abnuerim hunc locum ab iis, qui Gregorio animismum imputant, posse lucro apponi, etsi potest animadverti argumenti aciem ab ipso auctore hebetari ac refringi, huncque ab ista unitate, quam nunc tam clara voce profitetur, haud semel deflexisse, ac videri ad id inclinari, ut eam ad principalem animi facultatem, mentem scilicet, referat. Quid enim mirum, si semel iste secum pugnat, quem totis pedibus in animismum descendentem deprehendimus? Volumus tantum isti loco locum alium opponere, qui in eodem libro ei proximus est, sed qui tantum ab altero distat, ut non solum in pulverem redigatur ista jam jactitata unitas, sed etiam mens una animae attribuatur, caeterae autem facultates maximo ab ea dirimantur intervallo. Non tantum nunc

principatum obtinet facultas illa, quae ratione utitur, sed sola est, quae vere digna sit, ut anima nuncupetur; caeterae habendae sunt animae tanquam vanae species ac simulacra, ita ut non magis referant veram illam ac perfectam animam, quam aptum ad hominem alendum panem panis lapidosus. Haec enim loquitur, quae non alienum erit transferre: „Quum ea demum perfecta sit anima, quae et intelligentiae et rationis est vi praedita: quidquid scilicet tale non est, ei cum anima quidem nomen esse commune potest, reapse vero non anima, sed vivendi facultas quaedam erit, quae more hominum animae appellatione censeatur". Non potest, ni fallor, majus intervallum duas inter vires interjici: nec progressus est Cartesius noster longius.

Eandem prope doctrinam, quam apud Gregorium, iisdemque fontibus haustam apud Nemesium invenimus, qui interdum ad animismum accedit, saepius vero in contrarium deflectens, naturam postremum in sua jura vindicat: quod iis, quae sunt quasi rerum vestibula, scilicet omnibus illis, quae de scala aut progressu rerum, aut distinctione ac natura animae et corporis disputari solent, neglectis, extemplo deprehendetur.

Intuenti psychologiam Nemesii, primo aspectu animismus occurrit. Anima (ut ipsum prope loquentem inducamus) corporis motus principium est et vitae corporis. Vita animae cognata est, non corpori, nisi quod id ejus est quodammodo particeps. Corpus est igitur tantummodo instrumentum ad animam ejusque operationes accommodatum, ideoque cum viribus animae divisum. Non corporis sunt voluptates, omnis enim voluptas cum sensu; sensus autem animae est. Anima potest quidem in duo genera dividi, rationabile scilicet et irrationabile, in quo nutriendi, procre-

andi et pulsuum vis inest (quorum duo illa naturalia, hoc postremum vitale nominatur): sed una anima est, hasque omnes facultates in se continet et possidet.

Non prodest latius Nemesii psychologiae descriptionem explicare, ut plane appareat non esse in homine, ex ejus sententia, duo principia; nec facile reperias animismum, qui se magis declaret. Res autem mirum in modum mutabitur, si singula exploraveris, et fueris munera, quae animae irrationabili attribuuntur, scrutatus. Tunc extenuatur paulatim et quasi in vanum recedit animae actio, natura autem, de qua quidem jam saepe facta erat mentio, sed quae cum anima confundi ejusque pars esse videbatur, emergit, viribusque suis recollectis, proprio potitur imperio. An vero recte dicemus naturam illam ejusque vires adeo sui juris esse, ut animae nullum tributum solvant, neque ulla servitute teneantur? Perspicuum est contra non posse naturam suis muneribus fungi sine anima, et rupto vinculo aut foedere ejus vires diffluere; sed constat nihilominus, quod unum demonstrare nobis in animo est, organa aliquid proprium in sua potestate habere, quod ipsis inhaerescat.

Primum, ut protinus rem aggrediamur, nutriendi facultas, quae modo animae attributa fuit, eodem prope momento ad naturam transfertur, quum profitetur Nemesius „quamque partem animalis ad se suum alimentum attrahere attractumque retinere, mutare id quod retinuit, et quod superfluum est expellere". Dicit quidem organa facultatis nutriendi esse instrumenta, et, quum animae sit ista facultas, videtur non potuisse vim vel minimam organis attribuere: sed non adeo sibi constat noster philosophus. Modo mera instrumenta, modo propriis viribus praedita organa videntur esse Nemesio: stomachus enim praesto est in deglutiendo, attrahit

cibum et ad ventrem demittit; venter, ubi cibum accepit, secernit quod bonum est et aptum ad nutriendum a lapidoso et inepto; et id quod secrevit, in succos mutans per venas ad jecur mittit: illae, quae tanquam radices sunt jecoris trahunt e ventre alimentum, ut e terra suum trahunt radices, et ad jecur transportant. Denique jecur succum a ventre per venas acceptum concoquit suique similem efficit et, quum habeat carnem simillimam sanguinis, in sanguinem, ut decet, succum convertit.

Non plura excerpam ex iis, quae Nemesius de nutritione descripsit: nam facile apparet illum organis vires proprias attribuisse, quae plurimum ad munera vitae conferant. Non abnuerim illum in fine descriptionis suae iterum esse professum nutriendi facultatem penes animam esse partemque irrationabilem eam appellasse, quippe quae non ex sententia nec voluntate nostra, sed naturaliter opus suum efficiat. Quid autem in hoc ipso loco significat haec oppositio, quam inter sententiam electionemque instituit, atque naturam? Num voluit hoc solum dicere nutriendi facultatem suum opus efficere, nullo rationis aut conscientiae interventu? At hoc ipsum e definitione animae irrationabilis sequitur. Voluit potius significare animam, quemadmodum e sententia et electione quibusdam in rebus, per eam vim tantum quam in se habet, nulla alia adjuvante, opus suum per se ipsa efficit, sic etiam cujusdam vis, quae natura vocatur, in nutriendo egere auxilio.

Caeterum magis elucescit naturae opera, si a nutritione ad illam pulsuum vim, quam proprie vim vitalem nuncupat, transimus. Non solum de anima nulla fit mentio, et in abdito omnino latet; non modo ea, quae appellatur vitalis facultas, una apparet, una operatur, aliaeque vires, quae ad

vitae administrationem ci auxiliantur; inest quoque organis ipsis quaedam agendi facultas; eaque aut sola operantur, aut viribus consociatis ad unum finem conspirant. Etenim ut pauca exempla afferamus, dicit expresse venam pastum suppeditare nervo et arteriae, arteriam venae calorem naturalem et spiritum vitalem impertiri, nervum autem pulsum illis praebere ac toti corpori.

In generatione quoque animam ac naturam consociatam simul et distinctam deprehendimus. Huic quidem parti animae, quae rationi non obtemperat, vis generandi tributa est, sed non omne opus generationis; venit quoque in partem laboris natura. Actio ab anima pendet; sed cupiditas conjunctionis naturae assignatur. Eo etiam devenit Nemesius ut dicat, renes esse corporum commiscendorum libidinis causas; atque eam phaenomeni explicationem aggreditur, e qua appareat illum, si non omnino animam removerit, in organis certe ipsis vires collocare, quae ejus operationem sollicitent ac compellant. Quid significat enim hoc semen, quod fit ex iis, quae restant e venarum et arteriarum nutrimento? Quid ista acrimonia, quam venae, quae in testes incidunt, hauriunt per renes transeundo, quae irritat appetitum, tanquam quoddam pruritus genus? Quid testes isti, qui eo quod eorum caro mollis est, quum ab acrimonia mordentur, insanam pariunt cupiditatem emittendi seminis? Concedam, si libet, Nemesium corpori cupiditatem non attribuisse, quanquam contra videtur; certe in confesso est illum in corpore sitas esse vires, quae cupiditatem excitent animumque sollicitent ad agendum, et quae ob eam causam ab anima distinctae sint, existimavisse.

Neminem fallit Nemesium aliorum philosophorum sententias plerumque exposuisse et notissimam quamque de

natura hominis doctrinam retulisse: inde fit ut sit interdum in incerto quid ipse senserit, et ut non sibi semper ejus sententia constare videatur. Quanquam hoc praecipue in aperto est, si quid intelligitur, illum duo genera munerum in homine collocavisse, duoque principia. Quum in mentionem incidit hujus opinionis, quae animam in tres facultates praecipuas partitur, quarum aliae animae vires dicuntur, motus scilicet, vocis edendae facultas et respirandi, quae ex electione sunt et consilio, aliae naturales, aliae vitales, quae non sunt in nostra potestate positae, ut nutriendi, augendi, generandi facultates, quae sunt naturales, et pulsuum vis, quae est vitalis, huic divisioni videtur patrocinari: non quod tamen tria principia homini affinxit; nam protinus naturales et vitales facultates in unum colligit; sed has extremas ab animae facultatibus maximo disjungit intervallo, et animae ac naturae operum distinctionem valde probandam esse judicat, quorum alia extra potestatem nostram sunt, alia autem ab electione pendent; ac providentiae sapientiam admiratur, quae cum naturalibus operibus opera animae conjunxerit, et vicissim cum animae operibus, naturalia. Non me fallit eum sibi semper non constitisse: nam, exempli causa, quoniam in respiratione musculos quosdam movemus, eamque certo modo mutare possumus, vult eam munus esse animae: sed vel in hoc loco ad distinctionem animae et naturae revertitur, in partem laboris animae naturam tanquam invitus advocans.

Constat igitur Nemesium distinctas partes naturae in vita hominis affinxisse. Non equidem negaverim illum eam interdum confudisse cum anima illa, quam rationis expertem nuncupat; apparet tamen rem attentius perpendenti, illum non aliam ducere naturam, quae existit in homine,

ac vim illam, quae ex abdito et infinito cuncta profundet, et seu in inanimatis, seu in animatis omnia efficit. Etenim in loco illo, in quo de rebus, quae sunt aut non sunt in nostra potestate positae disputat, alia nominantur, quae ad vitam corporis pertinent, ut canities sexagenarii, et prima barba adolescentis, alia autem, quae extrinsecus fiunt, ut imbres et grandines: porro haec cuncta juxta ad naturam referuntur. Natura, ut illi placet, illa vis est, quae omnia, quae oriuntur, crescunt, intereunt, stirpes scilicet et animantia, gignit et efficit: de qua, ni fallimur, non aliter sentit atque Aristoteles; nisi quod apud illum ea Deo pareat, qui opus suum noverit, eique finem certum perscripserit et attente consulat.

Nihil confert ad rem, ut nobis videtur, si diutius graecos ecclesiae patres et doctores percenseamus, et quid quisque eorum de vi vitali statuerit, quaeramus. Nimirum Gregorius Nazianzenus de anima carmina condidit, sed in iis nihil inest, quod dignum mentione nobis videatur, nisi quod forte vitam corporis et animae nexum definiat: unde liceat forsan colligere, vitam esse quidpiam medium corpus inter et animam, eum existimasse. Nihil etiam neque apud Basilium, neque apud Joannem Chrysostomum notandum est, quod aliquid in hac quaestione ponderis habeat. Caeterum satis multa dicta sunt, ut in quaestionem venire possit eorum auctoritas, qui contendunt graecos patres unam et eandem vitam atque animam esse censuisse. Quod si non audemus affirmare eos quidvis potius fuisse, quam animismi assectatores, non dubitabimus dicere istam doctrinam mirum in modum corruptam apud illos reperiri, adeo ut in plerisque eorum iisque doctissimis, in eam disciplinam de

torqueatur, quae cognomen ex organis sumpsit, aut cum ea commisceatur, auctoritate Aristotelis in utramque partem ipsis insciis neglecta.

In fine dissertationis suae scriptor, postquam de iis, quae Patres Ecclesiae Latinae, Tertullianus, Lactantius, S. Hilarius, Augustinus de vi vitali statuerint, accurate et copiose exposuit, tanquam ad longum iter, quod emensus est respiciens, haec addit:

Nunc quum suscepti operis ad finem pervenimus, si longum tanquam aequor cogitatione iteramus, et ea animo recolligimus, quae explicare studuimus, hunc exiguum propositorum numerum invenimus:

1º: Non integer est apud Platonem animismus. Vis quidem vitalis ab illo animae assignatur, sed non haec una vitae officia exsequitur. Videtur potius esse vitae corporis conditio, quam causa vere efficiens; naturae viribus utitur: eam vero partem laboris natura suscipit, ut non facile cernatur, cur non ipsa totum opus efficiat;

2º: Duae reperiuntur apud Aristotelem doctrinae, ut isti, qui organicistae cognominantur, suae doctrinae parentem possint illum appellare aequo fere jure, atque illi, qui animismum profitentur.

Nam doctrina, quae in libro, quem de anima scripsit, continetur, mutatur in libris, quos de animantium natura habemus, atque ut ita dicam corrigitur;

3º: A Stoicis ac magis etiam a Plotino manavit animismus, qui nunquam integer et sincerus reperitur, nisi apud istos philosophos aliosque, qui istorum vestigiis institerunt;

4°: Immerito illa doctrina plerisque patrum aut doctorum ecclesiae imputata est. Alii nihil liquidum, nihil certum de quaestione, de qua disputavimus, sensisse videntur, aut parum sibi constant; alii rem vix attigerunt, nec quod pondus habeat, intellexere. Sunt quidam, ii quidem haud contemnendi, qui non tantum organa suum quaeque officium in vitae muneribus exsequendis peragere, sed etiam existimaverunt, unumquodque vi propria uti, nec tamen sententiae suae interdum satis conscii reperiuntur;

5°: Tres tantum unius principii doctrinam professi sunt, Origenes scilicet, Tertullianus, Augustinus, ut qui aut a Stoicis aut a Plotino manaverint. Nec tamen Augustinus ex omni parte sibi constitit eumque deprehendimus, licet cuncta vitae officia animae largitus sit, nec quidquam naturae reliquerit, naturam tamen, cui ne minimus quidem locus in ejus disciplina erat, in partem laboris animae interdum revocantem! — Adeo difficile est eos, qui hominem ex anima et corpore constare volunt, non extra animam ea ponere, quorum ipsa sibi anima non conscia est.